



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XLIX. Der Rath der Stadt Nauen dotirt die St. Nicolaicapelle vor dem Dammthore, am 3. August 1375.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

**XLIX.** Der Rath der Stadt Nauen dotirt die St. Nicolaicapelle vor dem Damuthore,  
am 3. August 1375.

In nomine domini Amen. Injuriatur memorie frequenter obliuio, et longinquitate sepe fit temporis, quod res clara presentibus reddatur obscura futuris. Quare aduersus obliuionis dispendium de scripture suffragio prouidit industria sapientum. Hinc est, quod nos, Michael Cestow, Tylo Parne, Bartolomeus Postamp, Johannes Grabo, Conradus Pausyn, Nicolaus Engels, Nicolaus Ribbeke, Henninghus Mewes, Nicolaus Sellecho, Nicolaus Grundiz, Nicolaus Sentic et Nicolaus Hoppenrode, consules veteres et novi; Nicolaus Wetegot, Johannes van dem Berghe, Henningus Stantz et Henricus Schroeder, magistri guldarum sancti Nicolai et alienigenarum, ac uniuersitas ciuitatis Nauwen, presentibus publice recognoscimus, quod matura deliberatione prehabita, de nostrorum omnium unanimi consensu, ut uberius nobiscum diuinus augeatur cultus, in dotem et pro dote cappelle extra ualvam, que uulgariter Damdor dicitur, ejusdem nostre ciuitatis site, que cappella in honorem sancti Nicolai, episcopi et confessoris, de uoluntate et licentia honorabilium uirorum dominorum, Ottonis prepositi, Bertrami prioris et capituli ecclesie Brandenburg. de nouo construitur et dedicatur, tres choros filiginis in Ribbeke et duos choros filiginis in Marke de uillis annis singulis in festo beati Martini, episcopi et confessoris, percipiendos cum omni iure et proprietate perpetuo erogamus, renunciantes pro nobis nostrisque successoribus eisdem quinque choris filiginis et omni juris beneficio, per quod dotis eorum erogatio posset in posterum quomodolibet irritari. Ut autem dicta cappella sine omni dampno et dispendio ecclesie parrochialis nostre ciuitatis ejusdem perseveret, uolumus, ut rector cappelle antedictae debeat quolibet die infra matutinas, que in parrochiali dicuntur ecclesia, missam celebrare, nisi corporis infirmitate fuerit impeditus. Debet etiam omnes oblationes et uotivarum missarum denarios ac generaliter omnia et singula, que jus parrochiale contingunt, et ad eum pervenerint, preter ea, que eidem in testamento fuerint assignata, plebano dicte ecclesie parrochialis, qui pro tempore fuerit, plenarie presentare. Quod si non fecerit, et super hoc per duos idoneos testes conuinci quiverit, debet esse omni iure, quod in cappella vel ad ipsam sibi competiti, absque monitione et sententia aliqua, ipso facto privatus, nisi dominus prepositus Brandeb. ecclesie cum consensu capituli sui secum super retentione dicte cappelle misericorditer agere dignaretur. Ceterum si procuratores ejusdem cappelle aliquibus specialibus diebus, puta patroni vel dedicationis cum tabula aut alio quolibet modo fidelium elemosinas petere uoluerint, id facere non debeant nisi dicto offertorio summe misse, que in parrochiali ecclesia celebratur, quarum elemosinarum mediam partem plebanus ecclesie parrochialis, qui pro tempore fuerit, percipiet et habebit. Demum firmiter promittimus, quod nec intra nec extra cappellam predictam ymaginem pro colligendis oblationibus ponemus aut ab aliis poni permittemus; de trunco autem seu truncis oblationum mediam partem similiter plebanus ecclesie parrochialis sepedicte, qui pro tempore fuerit, sine qualibet contradictione percipiet et habebit. Ut igitur omnia et singula premissa inuiolata perpetuo conseruentur, presentem cartam scribi iussimus, ipsam nostre ciuitatis ac guldarum sancti Nicolai et alienigenarum magistrorum predictorum sigillis munientes. Actum et datum in ciuitate nostra predicta, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LXXV<sup>o</sup>. tertio die mensis Augusti.

Nach dem Originale des Domstifts Brandenburg.